



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. Quomodo Sacramenta novæ legis eam conferunt,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

44 TRACTATUS I.

CONSORTES NATURÆ. *Causa verò instrumentalis non agit per virtutem sua forme, sed solum per motum quo movetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur securi, sed arti, qua est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nova legis gratiam causant: adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Vnde Augustinus dicit, contra Faustum cap. 19. hæc omnia (scilicet Sacramenta) fiunt & transeunt; virtus tamen (scilicet Dei) qua per illa operatur, jugiter manet. Hoc autem propriè dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Vnde ad Titum 3. dicitur: SALVOS NOS FECIT PER LAVACRUM REGENERATIONIS.*

*Quæst. 8. Quomodo Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam?*

*Resp. Sacramenta conferunt gratiam, ut aiunt Theologi, Ex opere operato, hoc est illam conferunt immediatè ex se ipsis, per virtutem receptam à Passione Christi, qui nostram operatus est salutem; ita ut non solum intuitu meritorum conferentis, aut suscipientis Sacramentum gratia conferatur, sed intuitu meritorum Christi, qui instituit Sacramenta eisque hanc virtutem communicavit.*

*Quod quidem probatur primò ex Divo Thoma qui ait: In Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet in quantum est instrumentum Passionis Christi jam perfectæ: Quod nos vocamus producere gratiam Ex opere operato, ut jam diximus.*

*S. Leo. Sermone 5. De Nativitate Domini. versus finem.*

*Probatur secundò authoritate sancti Leonis Papæ: Originem, inquit, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis, dedit aqua quod dedit matri: virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus-sancti qua fe-*

De Sacramentis. Cap. VII. 45

cit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit  
ut regeneret unda credentem.

Denique Concilium Tridentinum sic habet :

Si quis dixerit per ipsa nova legis Sacramenta  
ex opere operato non conferri gratiam, ana-  
thema sit. Concil. Trid.  
sess. 7. Can.  
8.

Quest. 9. Quomodo Sacramenta legis vete-  
ris, id est Mosaicæ, conferebant gratiam ?

Resp. Illam conferebant tantum ex opere  
operantis, hoc est non per virtutem quæ fue-  
rit in ipsis ex meritis Passionis Christi, seu ex  
opere operato, sed duntaxat intuitu solius  
meriti, & dispositionis, quæ erat in recipien-  
tibus.

Probatum primò ex supradicta autoritate  
Eugenii IV. in Concilio Florentino, ubi ait:  
*Sacramenta nova legis multum à Sacramen-  
tis differunt antiqua legis; illa enim non  
causabant gratiam, sed eam solum per Passio-  
nem Christi dandam esse figurabant: hac ve-  
rò nostra, & continent gratiam, & ipsam  
dignè suscipientibus conferunt.* Quod eviden-  
ter probat Sacramenta veteris legis non con-  
tulisse gratiam *Ex opere operato*; quoniam con-  
ferre gratiam *Ex opere operato*, est eam pro-  
ducere per virtutem, quæ in ipsis sit ex meritis  
Passionis Christi: Concilium autem definit  
Sacramenta antiquæ legis, non habuisse in se  
talem virtutem.

Quod explicat sanctus Augustinus his ver-  
bis: *Alia sunt Sacramenta dantia salutem,  
alia promittentia Salvatorem: Sacramenta  
novi Testamenti dant salutem; Sacramenta  
veteris Testamenti promiserunt Salvatorem:  
mutata sunt Sacramenta, facta sunt facilio-  
ra, pauciora, salubriora, feliciora.* Quæ  
verba satis ostendunt, Sacramenta veteris le-  
gis non contulisse gratiam, per virtutem ali-

D. Augusti-  
nus in Psal.  
73.